



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Sectio V. De Præcepto Divino Confessionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)



306. Objectio. Si inferas; ergo propter maiorem utilitatem non potest Confessarius differre Absolutionem, quando alioquin penitens nunc est sufficienter dispositus ad remissionem peccatorum, & non sententia in dilationem, quae est altera pars sententiae Sancti, opposita nostrae Conclusioni.

Solvitur. Respon. neg. Conseq. quia licet penitens non teneatur procurare illam maiorem utilitatem, eequidem nullum habet jus, obligans Confessarium, ut facta Confessione, actum absolvatur. Sicuti, tamen fideles non habeant obligationem sumendi Eucharistiam cum maiori utilitate; eequidem Ecclesia potest differre distributionem pro maiore ipsorum utilitate: ergo similiter poterit differre Absolutionem, etsi hic & nunc absolutus fiat dispositus ad remissionem peccatorum.

307. Sententia Arriaga de casu proposito. Arriaga disp. 38. sect. 6. quamvis nobiscum sentiat, non esse obligationem explicandi qualemcumque consuetudinem peccandi, nihilominus (inquit n. 44.) quando consuetudo talis est, quae verè ipsa sit quasi maxima causa

peccandi; necessum est eam manifestare; quia etiam tunc, illius praesentis peccati notitia perfecta, videtur exigere notitiam consuetudinis; cum ea consuetudo reddat illud peccatum, si non gravius, certè longè periculosius; ac proinde ex hoc capite alia requiritur non solum Penitentia; sed hortatio etiam, suspensio Absolutionis ad tempus &c. Hæcenus Arriaga.

Respondeo; peccatum illud longè periculosius, vel est specie, aut numero distinctum ab alio peccato minùs periculoso, vel non. Si primum, haud dubium, quin debeat explicari, non tantum post, sed etiam ante interrogationem Confessarii, neque de hoc queritur. Sin autem non est specie, aut numero distinctum, ubi præceptum divinum illud explicandi, etiam post interrogationem Confessarii profectò nullum huiusmodi præceptum existere, patebit ex his; quae iamjam edidero de Confessione oris, quae est secunda pars quasi materiae huius Sacramenti, adeoque secundo loco explicanda. Sit itaque

SECTIO QUINTA.

De Praecepto Divino Confessionis.

1. Quas personas obliget præceptum Divinum Confessionis? DE necessitate Sacramenti Penitentiae, & per consequens Confessionis oris, quae est pars eius quali essentialis, diffusè tractavimus sect. 1. concl. 3. Videantur ibi dicta: quibus suppositis, queritur primò, quas personas obliget præceptum divinum Confessionis? Respondeo:

Atque in primis obligationem sub mortali nemo inficiatur; gravitas enim materiae per se patet, ei autem proportionatur obligatio, nisi aliud contritè de voluntate Legislatoris Deum autem voluisse obligare ad Confessionem tantum sub veniali, unde probatur? Nullam huiusmodi voluntatis reperitur vestigium vel in Scriptura, vel in SS. Patribus, vel in Conciliis. Hoc ergo sit certum.

CONCLUSIO I.

Confessio Iure divino obligat sub mortali omnes & solos, qui in Baptismo, vel post Baptismum mortaliter peccaverunt.

Prima autem difficultas est, quam infirmè solvimus sect. 2. concl. 1. ex Scoto 4. dist. 17. n. 10. ubi sic ait: Non videretur, quòd infideles tenentur ad præceptum de Confessione, si videlicet Confessio solum foret iuris Ecclesiastici. Ergo, secundum Scotum, infideles tenentur præcepto divino Confessionis; ergo non soli illi, qui in Baptismo, vel post Baptismum mortaliter peccaverunt: nam per infideles Scotus ibi intelligit non baptizatos.

2. Probatur Conclusio. Hæc Conclusio videtur propemodum expedita sect. 2. concl. 1. & 2. Si enim iure divino; ut ibi ostendimus, omne & solum peccatum mortale commissum in Baptismo, vel post Baptismum est materia necessaria Confessionis; ergo videtur, quòd Confessio iure divino omnes & solos obliget, qui in Baptismo, vel post Baptismum mortaliter peccaverunt; quare ad eas Conclusiones remitto Lectorem meum. Addo, quae huic loco referavimus.

Ut sit de Scoto, qui, ut bene notat Dicastillo disp. 7. n. 12. non admodum clare loquitur, non desunt Auctores probati, qui assertivè doceant, infideles obligari præcepto Confessionis. Ita Richardus in 4. dist. 17. a. 2. Sylvester verb. Confessio. 2. q. 5. Angelus eodem verbo, n. 2. & novissimè Hiqueni in suo Commentario ad illam distinctionem Scoti n. 17. Probatur autem n. 18. quia lex Evangelica promulgata est tam fidelibus, quàm



quàm infidelibus; sicut & remedia illius legis, qualia sunt Sacramenta, & eorum præcepta; ergo comprehendit tam fideles, quàm, infideles.

Antecedens est notum. Probat Consequentiã; ad obligationem legis aut præcepti in genere, quòd spectat ad substantiam legis, non requiritur, quòd præceptum pro omni statu, materia, & circumstantia, loquendo de affirmativo, adimpleatur; sed sufficit quòd in statu determinato, materia, tempore, & circumstantiis determinatis; sed hoc non tollit, quin aliquis obligetur lege, licet nunquam occurrat ei tempus, in quo præceptum legis affirmativum adimpleri debeat, aut materia, quam determinat; ergo potest stare obligatio legis & præcepti, quamvis ad exercitium actus non obliget, nisi ex conditione prærequisita, quam lex ipsa determinat.

Major patet; quia ipsa lex implicat illam conditionem determinatam, quæ potest non poni, aut non occurrere. Minor probatur; ex lege naturali quilibet tenetur succurrere proximo extremè indigenti dum potest; quamvis autem non occurrat casus adimplendi hoc præceptum, non inde sequitur, quin quisque tenetur lege. Similiter quisque tenetur pro Republica vitam & bona exponere, quamvis necessitas determinata, in qua tenetur ad hæc, in exercitio non occurrat. Sic tenetur fidelis ad Confessionem fidei, & vitam commutandam pro ejus defensione coram tyranno, si occurrat casus, & sic de ceteris; ergo obligatio legis non tollitur, neque confunditur cum exercitio operis præscripti, quamvis circumstantia particularis operis perficiendi non occurrat.

Sed eodem modo obligatur infidelis ad Legem Evangelicam, ejusque præcepta, quamvis non pro statu infidelitatis retentæ; quia sic nequit aliquid ejus præceptum positivum, ut est proprium hujus legis, adimplere (quia neque fidei, quæ est fundamentum ceterorum, neque Baptismi, qui est Sacramentum fidei) saltem fructuosè quantum ad salutem. Hucusque Hiquæus. Et continuò adjungit: Quidquid ad hæc dicatur, præceptum Eucharistiæ comprehendit infideles, quamvis hoc præceptum pro statu infidelitatis nequeat adimpleri.

Si respondeas; infidelem, susceptâ fide & Baptismo, posse sumere Eucharistiã, non ita Sacramentum Pœnitentiæ; nisi peccaverit post Baptismum; non tenetur autem peccare, sicuti tenetur suscipere fidem & Baptismum. Contrà facit; quòd sic neque omnes fideles tenentur præcepto Confessionis, sed solùm illi, qui baptizati mortaliter peccaverunt.

Immo, inquit Hiquæus, neque in ullo statu unquam fuit obligatio Pœnitentiæ, nisi ratione peccati mortalis personalis, ut supponit Tridentinum sess. 14. c. 1. & 4. cum

tamen præceptum Pœnitentiæ omnes obligabat, non in exercitio, nisi ex suppositione peccati, si fieret. Sicut ergo præceptum Eucharistiæ obligat infideles, ut ita dicam, in actu signato, quamvis non in exercitio, nisi adimpleatur conditio prævia, nempe per susceptionem fidei & Baptismi, & in ætate adulta; sic etiam præceptum Pœnitentiæ obligat infideles, supposito Baptismo, & materia ipsius Pœnitentiæ, nempe peccato post Baptismum actuali mortali.

Sed hoc etiam sufficit; quia non aliter obligat fideles, quos tamen obligat secundum omnes non in exercitio, nisi supponatur peccatum tale. Unde si hæc ratio eximat infideles ab obligatione præcepti, quia in eo statu non possunt habere actum, per quem adimpletur præceptum; sic etiam eximendi sunt ab ejus obligatione fideles justii pro statu iustitiæ. Hæc ille.

Respondeo; planè eximendi sunt fideles justii pro statu iustitiæ, & ab omnibus eximuntur, qui dicunt, præceptum divinum Confessionis obligare solos illos, qui baptizati mortaliter peccaverunt. Neque uspiam Tridentinum insinuat, Pœnitentiã esse omnibus fidelibus necessariã, sed, ut loquitur sess. 14. c. 1. *Universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinaverunt.*

Sed neque Scotus obligat omnes fideles ad confitendum, ait enim 4. dist. 17. n. 18. *De secundo articulo dico, quòd hoc præceptum includit quis debet confiteri, quia adultus. Numquid omnis? Sequitur: Id est, habens usum rationis, & cognoscens peccatum, quòd commisit, puta in Baptismo, vel post Baptismum; quia illud solum est materia Confessionis. Igitur Conclusio nostra est conformis modo loquendi Scoti, & communi modo loquendi aliorum DD.*

Neque argumentum Hiquæi nos urget, ut ab illo communi modo loquendi recedamus; quidquid sit, an infideles teneantur suscipere Eucharistiã, quòd plerique etiam negant; interim disparitas semper manet, scilicet obligatio proxima ad applicanda media, necessaria ad susceptionem Eucharistiæ, ratione cujus obligationis remotè dici possunt obligati ad ipsam susceptionem.

Sicuti qui vovisset suscipere Ordines sacros, majori jure diceretur obligatus ad continentiam, quàm qui non vovisset; licet enim uterque habeat obligationem (si ita velimus loqui) continentiam, supposito quòd suscipiat Ordines sacros; equidem prior habet obligationem ponendi medium, necessariam ad illam obligationem proximè contrahendam, quam non habet alius.

Quòd probè intelligens Hiquæus suprâ n. 21. sic inquit: Distinguendum est inter leges ipsas seu præcepta universalita: nam quedam

Pœnitentiã non obligat nisi ex suppositione peccati.

Sed hoc ab auctore non dicitur.

6. Sed hoc ab auctore non dicitur.

7. Disparitas inter Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ.

Probat à simili.

8. Modus obligandi legis diversus.



Quidam obligantur ad actus singulos. Hicquænt.

obligant ad actum absolute omnes & singulos; licet præquirant media, ad quæ pœnenda tenetur quis ex necessitate finis intrinseci ipsius præcepti; talia sunt præcepta fidei, & virtutum, & Baptismi, Eucharistiæ, & similia. Ad hæc omnes tenentur: unde infidelis etiam peccat contra præceptum Eucharistiæ, quo tenetur apponere media, ut fidem & Baptisma, præter peccata, quæ committit contra præceptum particulare fidei & Baptismatis. Alia verò sunt præcepta, quæ comprehendunt omnes & singulos quantum est ex vi legis universalis, sed ratione materiæ tantum in particulari hunc vel illum, quantum ad actum præscriptum; talia sunt præcepta satisfactionis & iustitiæ, quale est præceptum Pœnitentiæ, quæ ad satisfactionem & pœnitentiam talis peccati, respicit particulariter hunc vel illum.

Alia obligantur ex suppositione.

Hicquænt conatur utramque sententiam concordare.

Secunda ergo sententia talem obligationem rectè excludit ab infidelibus, in quibus non est materia Sacramenti; non tamen rectè obligationem, quæ ipsis competit ex natura legis universalis, licet ex defectu materiæ ipsos in particulari non concernat obligatio exhibendi actus, sicut neque etiam iustus sic concernit, & fideles, à quibus non removetur obligatio generalis legis. Sicut neque in Republica leges restitutionis rectè dicuntur esse particularium tantum, qui obnoxii sunt rationibus, licet illos particulariter concernant ratione debiti. Hactenus Hicquænt.

9. Pro magna parte est questio de nomine,

Ex quibus profectò verbis liquet, pro magna parte esse questionem de nomine. Cùmque, ut ipsemet fatetur n. 20. Concilia & Patres magis loquantur de hac particulari obligatione, quàm de universali; quidni & nos ita loquamur? Quòd autem addit, Concilia & Patres supponere obligationem universalem ipsius legis, & quòd lex est, mihi non constat.

Lex non debet necesse omnino comprehendere, quando fertur pro certo statu hominum.

Et reverà, estò lex sit regula stabilis & universalis, haud equidem necessariò debet omnes omnino comprehendere, quando pro certo aliquo statu hominum fertur; sufficit namque, quòd ille status sit communitas perfecta: sic multæ sunt leges positivæ in Ecclesia Dei, quæ non concernunt universaliter omnes fideles; sed dumtaxat certum statum, v. g. Ecclesiasticos, vel sæculares, aut Religiosos, vel plebeios, aut Nobiles &c. & tamen dicuntur leges communes & universales, juxta l. Iura 2. ff. de Leg. Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.

Quòd autem huiusmodi leges non comprehendant omnes omnino fideles, non indiget probatione. Quis enim sanæ mentis dixerit, homines plebeios obligari legibus Nobilium, homines sæculares legibus Ecclesiasticorum aut Religiosorum, propter hoc præcisè, quia plebeii possunt elevari ad statum Nobilium, & sæculares ad statum Ecclesiasticorum aut Religiosorum?

Ergo consimiliter præceptum divinum Confessionis, quod latum videtur pro certo statu hominum, scilicet eorum, qui in Baptismo, vel post Baptisma mortaliter peccaverint, non proprie dicitur obligare infideles, neque fideles iustos; tamen fieri possit, ut, qui nunc infidelis est, aut fidelis iustus, aliquando fiat fidelis peccator. Et ideo in Republica leges restitutionis rectè dicuntur esse particularium tantum, qui obnoxii sunt rationibus, uti & in universum, leges penales propriissimè dicuntur esse malefactorum tantum, & non generaliter omnium tam bonorum, quàm malefactorum.

Alioquin dicamus, etiam pueros obligari præcepto divino Confessionis (quod est contra Scotum supra) quia licet nunc non occurrat circumstantia particularis, in qua actus legis exerceri possit, tamen ex nunc sunt membra Ecclesiæ, & procedente tempore occurret circumstantia particularis exercendi actum legis. Et quamvis, secundum multos Doctores, ex nunc obligentur legibus naturalibus (quod tamen Alii negant) haud equidem præceptum illis positivis. Et ratio disparitatis assignari non posset; quòd lex naturalis fundetur in natura rationali, ac proinde videatur obligare omnes illos, in quibus reperitur hæc natura: præcepta autem positiva, cum mere pendenda à voluntate Legislatoris, non apparent lata, nisi illis, qui de facto utuntur ratione, & possunt humanitè obedire, imò & actu tenentur, vel proximè, vel saltem remotè, puta tenentur adhibere media necessaria ad legem implendam.

Ex quo patet responsio ad exempla supra à Hicquænt adducta, quæ vel sunt leges naturales, vel saltem connaturales gratiæ, adeoque non mirum, si obligent unumquemque, etiam in actu nunquam occurrat circumstantia, in qua oporteat actum legis exercere; nam saltem potest occurrere velis nolis. Neque nos dicimus præceptum Confessionis non obligare, nisi præcisè in illa circumstantia, in qua debet fieri Confessio; aut obligare pro semper, id est, pro omni circumstantia, in qua potest fieri Confessio; est enim præceptum affirmativum, quod obligat semper, sed non pro semper. Quid ergo asserimus?

Præceptum divinum Confessionis non obligare nisi illos; qui tenentur adhibere omnia necessaria ad suscipiendum hoc Sacramentum. Tales autem non sunt infideles, aut qui baptizati non peccarunt mortaliter; nam unum ex requisitis seu necessariis ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ est materia Sacramenti, utique peccatum hominis baptizati; peccandi autem nulla est obligatio, sed plena libertas, in tantum ut nunquam occurrat circumstantia, in qua debeat exerceri actus præceptus, nisi dependenter à libera voluntate hominis baptizati.

Interim



Interim pro majori parte videtur quæstio de nomine; hoc unicum de re quaritur, an infidelis non suscipiendo Baptismum, peccet contra præceptum Confessionis; sicuti Hiquæus supra admitit, ipsum peccare contra præceptum Eucharistiæ. Sed cum ibidem hic Auctor distinguat inter præceptum Eucharistiæ, & præceptum Confessionis, ac inter obligationem unius, & obligationem alterius, de responsione negativa non dubito.

Dices; Sacramentum Penitentiaæ est remedium universale & necessarium in communitate, quasi pro omnibus ejus suppositis, cum pauciores sint, qui non peccent mortaliter post Baptismum susceptum; & difficile sit, per solam Contritionem charitate perfectam justificari; ergo quilibet obligatur se reddere capaxem illius remedii.

Respondeo ex hoc argumento ad summum sequitur, quod præceptum Charitatis propriae obliget infideles, non ad Confessionem, sed ad Baptismum; hic autem quaritur de obligatione præcepti Confessionis. Deinde ipse Baptismus est medium sufficiens infideli, & satis facile ad accipiendam remissionem omnium peccatorum; ut omitam, Contritionem charitate perfectam non esse adeo difficilem, ut multi apprehendunt, cum sola pro adultis fuerit remedium justificationis ante legem novam. Atque hæc satis de prima difficultate.

Secunda difficultas est; an Apostoli, post Baptismum lapsi in peccatum mortale, fuerint obligati ad Confessionem, vel si non obligati, saltem illa peccata fuerint materia sufficiens Confessionis. De prima parte huius dubii sic inquit Scotus 4. dist. 17. n. 29. *Potest dici, quod tempore negationis Petri, Sacramentum Penitentiaæ non fuit institutum; sed post Resurrectionem, quando Christus dixit Discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata &c. & ideo non tenebatur pro tunc ad Confessionem; nec post institutionem Sacramenti adhuc tenebatur; quia iam ante Resurrectionem per aliud remedium fuerat peccatum suum deletum.*

Et consimiliter responderi potest de infidelitate omnium Discipulorum in Passione Christi, quod non tenebatur post ad Confessionem; quia post Resurrectionem penituerunt ante institutionem Sacramenti Penitentiaæ. Hæc ille.

Cardinalis Lugo disp. 15. n. 30. Si, inquit, Ecclesia Christi & lex nova incepit (ut Aliqui volunt) à puncto mortis Christi, vel ab ejus Resurrectione; probabile est, peccata commissa ab eo puncto, fuisse materiam sufficientem, & necessariam (si essent mortalia) ad Confessionem sacramentalem postea instituentiam; atque adeo remitti debuissent prius per Contritionem cum voto implicito hujus Sacramenti suscipiendi; quia jam erant commissa ab homine baptizato existente intra Ecclesiam Christi,

quæ jam inceperat, quare pertinebant ad Judices Ecclesie postea designandos. Sicuti pertinet ad Principem, vel ad Pontificem de novo creatum, punire delinquentes, etiam pro delictis factis Sede vacante, vel ante eorum electionem.

Si verò Ecclesia Christi, & lex nova non incepit usque ad diem Pentecostes, consequenter dicendum videtur, peccata commissa ante illum diem, non fuisse materiam necessariam, immo neque sufficientem. Ratio est; quia materia hujus Sacramenti debent esse peccata commissa ab homine existente jam intra Ecclesiam; quod probat Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 2. ex illo Pauli 1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Hæc ille.

Sed quantum ad primum, communis sententia est, Contritionem perfectam non includere votum Sacramenti, nisi in quantum includit votum observandi omnia præcepta divina; atqui ante institutionem Sacramenti Penitentiaæ, estò Ecclesia Christi & lex nova jam incepta fuisset, nondum erat præceptum divinum Confessionis; ergo pro tunc remitti poterant peccata per Contritionem charitate perfectam, absque voto implicito hujus Sacramenti suscipiendi.

Ad simile Respondeo: in nulla Republica censentur delicta subiacere pœne, per novam legem ferendam, sed si fertur lex, ut tales vel tales comburantur, tales vel tales suspendantur, semper id intelligitur de delictis commissis à lata lege; quia cum ea feratur ad deterrandos homines à similibus delictis, non esset æquum; ut qui ante talem impostam pœnam peccassent, postea punirentur pœnâ novæ legis: ergo etiam si Ecclesia jam à morte Christi fuisset instituta, quia tamen lex Confessionis nondum erat lata, non poterant peccata tunc commissa subiacere ei legi.

Proinde tamen pertinet ad Principem, vel ad Pontificem, de novo creatum, punire delinquentes, etiam pro delictis factis Sede vacante, vel ante eorum electionem; non tamen pœnis per novam legem ferendis, sed jam tunc constitutis, quando delicta committentur. Cum ergo in casu nostro, quando delicta committentur, nondum esset lex lata de Confessione faciendâ, liquet profectò, judices postea designandos, non habuisse potestatem illa delicta retinendi seu puniendi, citra liberam voluntatem eorum, qui deliquerant. Alioquin sicut novus Pontifex potest punire delicta, non solum commissa Sede vacante; sed etiam sub præcedentibus Pontificibus, si nondum fuere punita; dicamus etiam, Ecclesiam potuisse punire peccata commissa tempore Synagoga, in cuius locum successit, quod constat esse falsum.

Itaque, salvo meliori, quia res est incerta, existimo,

15. Respicitur quantum ad primam partem.

Respondeatur ad similes.

16. Lex pœnalis respicit actum futurum non præteritum.

17.



Peccata  
commissa  
ante institu-  
tionem Sacra-  
menti  
non erant  
materia ne-  
cessaria.

Similiter  
commissa  
ante promulga-  
tionem novæ  
Legis.

18.  
An fuerint  
materia  
sufficiens?  
Negat  
Lugo.

& solvit  
objectio  
nem.

19.  
Assignat  
disparita-  
tem inter  
Sacramen-  
tum Eucha-  
ristiæ, &  
Pœnitentiæ.

existimo, peccata commissa ante institutio-  
nem Sacramenti (quidquid sit de inceptione  
legis in morte Christi) non fuisse materiam  
necessariam; sed deleta fuisse per Contritionem  
Charitate perfectam, sine voto Sacramenti.  
Veluti ante institutionem Baptismi remittebatur  
peccatum originale, & alia peccata actualia  
per Contritionem Charitate perfectam, absque  
voto Baptismi.

Quod si verum est (ut puto) Legem novam  
non obligasse, nisi post promulgationem factam  
in Pentecoste; dico, peccata mortalia  
commissa ante promulgationem istam, etiam  
post institutionem Sacramenti, non fuisse materiam  
necessariam; sed deleta fuisse per Contritionem  
Charitate perfectam, sine voto Sacramenti;  
quemadmodum peccatum originale, & alia  
peccata actualia remittebantur per Contritionem  
Charitate perfectam, absque voto Baptismi;  
adeo ut sic iustificati, salvandi fuissent, si ante  
promulgationem contigisset eos mori; tamen  
si noluisset suscipere Baptismum, aut peccata  
sua confiteri, etiam dum commode possent, si  
vellent.

Sed numquid illa peccata erant materia  
sufficiens Confessionis, ita ut fideles possent  
suscipere Sacramentum Confessionis jam institu-  
tum, si vellent; sicut poterant suscipere Eucha-  
ristiam, quamvis nulla esset necessitas suscipiendi?  
Negat Card. Lugo, ut supra vidimus; quia videlicet  
illa peccata non fuerant commissa ab homine,  
existente in Ecclesia.

Si objicias; erant peccata hominis baptizati,  
quod sufficit. Respondet; de facto nunc id  
sufficere, quia omnia ejusmodi peccata fiunt  
intra Ecclesiam; tunc autem quando baptizaban-  
tur homines extra Ecclesiam, hoc est, ante  
erectionem aut institutionem Ecclesiæ, non  
omnia peccata hominis baptizati poterant  
pertinere ad iudicium Ecclesiæ. Concilia au-  
tem loquuntur de Sacramento Pœnitentiæ &  
ejus materia prout nunc de facto est, non  
prout tunc fuisset. Sicut sess. 13. c. 3. defini-  
tur sub singulis speciebus esse in Sacramento  
Eucharistiæ totum Christum; quæ tamen  
definitio debet intelligi de Eucharistia prout  
nunc de facto est, non prout erat in triduo  
mortis Christi; tunc enim sub singulis specie-  
bus non fuisset totus Christus. Hactenus Eminentissimus n. 32.

Et o. 33. assignat rationem disparitatis inter  
Sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ; quod  
Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuerit per  
modum iudicii, adeoque exerceri non poterat,  
nisi à iudice, vel Superiore; jam autem quamdiu  
non erat Ecclesia, neque poterant esse iudices,  
aut Prælati Ecclesiæ. Quare illo tempore inter-  
medio, Apostoli solam habebant potestatem  
Ordinis, qualem habet Sacerdos post suam  
Ordinationem; deerant tamen illis subditi, in  
quos exercerent talem

potestatem. Sicut si quis crearetur Episcopus  
alicujus civitatis nondum conditæ, sed quam  
jam Imperator condere vult; tunc haberet po-  
testatem Ordinis, & jurisdictionis, quantum  
est ex se; non tamen haberet ulum illum, nul-  
lis existentibus subditis.

Nihilominus contraria opinio placet Dic-  
tioni disp. 7. n. 55. & Arrigæ disp. 1. n. 3. quæ  
etiam nobis videtur convenientior, ut-  
tamen de qua nihil omnino certi constat. Cum  
enim Baptismus sit janua Ecclesiæ, ex eo tem-  
pore, quo Baptismus institutus fuit, jam tunc  
Ecclesia inepta erat, paulatim perficienda  
per institutionem aliorum Sacramentorum, &  
Prælatorum, omnino complenda per promulga-  
tionem, & consequentem obligationem. Sicut  
ergo alia Sacramenta utilia erant post eorum  
institutionem, antequam obligarent, quidni  
etiam Sacramentum Pœnitentiæ?

Nam quod ait Cardinalis, quamdiu non  
erat Ecclesia, neque poterant esse iudices, aut  
Prælati Ecclesiæ, sic distinguendum puto;  
quamdiu non erat Ecclesia obligans, neque  
poterant esse iudices, aut Prælati Ecclesiæ  
necessarii, id est, ad quos baptizati deberent  
referre omnia mortalia crimina, in quæ cecidissent,  
concedo; neque poterant esse iudices, aut  
Prælati voluntarii, ut sic loquar, ad quos  
baptizati possent deferre omnia mortalia cri-  
mina, in quæ cecidissent, nego. Quid si enim  
Christus reliquisset Sacramentum Pœnitentiæ  
liberum, sicut reliquit Sacramentum Confirma-  
tionis, Extremæ Unctionis, Ordinis, &  
Marrimonii; num ideo non forent iudices,  
qui possent absolvere baptizatos, qui sponte  
se submitterent ipsorum sententiæ?

Et verò Apostoli, nonne potestatem Ordi-  
nis acceperant in ultima Cœna, in qua à Chris-  
to instituti sunt Sacerdotes hisce verbis: *Hic  
facite in meam commemorationem?* Ergo Joan. 20.  
per illa verba: *Quorum remisistis peccata, remittuntur  
eis*, accipiebant potestatem jurisdictionis,  
quamvis adhuc ante promulgationem legis  
novæ voluntariam, & non coactivam, quæ  
planè sufficiens erat, ut illi, qui jam ita in  
Ecclesia erant, ut vellent nolent ejus legis  
postmodum promulgandis obligarentur, ab-  
solverentur à peccatis commissis illo tempore,  
quo sic fuerant in Ecclesia; etsi nulla adhuc  
foret obligatio illa confitendi. Possibilitas ergo  
est ostensa; quid factum fuerit, Deus solus  
novit, qui fecit.

Planè conveniebat, quod omnia peccata  
remitti possent, vel per Sacramentum Baptismi,  
vel per Sacramentum Pœnitentiæ; ne aliqui  
peccatores baptizati peioris forent conditionis,  
quàm non baptizati; siquidem non baptizati  
poterant accipere remissionem omnium peccatorum  
per Baptismum; baptizati autem neque  
per Baptismum, qui non delet peccata suble-  
quentia,



quentia, neque per Sacramentum Pœnitentiæ, ut Lugo contendit.

Hinc fortè factum, ut non antea obligaverit Baptismus, quàm utile fuerit Sacramentum Pœnitentiæ; immo quàm obligatorium. Interim sicut Baptismus priùs fuit utilis, quàm necessarius, juxta communissimam sententiam, sic non mirum, si etiam Sacramentum Pœnitentiæ fuerit utile ante promulgationem Legis novæ, est non necessarium. Atque hic fit finis hujus quæstionis, magis curiosæ, quàm necessariæ aut utilis.

Numquid etiam finis Conclusionis? Proterius, si admonero Lectorem meum, nullam certam ætatem requiri in personis, quæ obligantur hoc præcepto, ut bene advertit Scotus 4. dist. 17. n. 18. ubi scribit in hæc verba: De secundo articulo dico, quod hoc præceptum includit qui debet confiteri, quia adultus, id est, habens usum rationis, & cognoscens peccatum, quod commisit; per quem adultum non intelligo tantum vel tanto ætatis, sed quod habeat ætatem ad cognoscendum iustum vel iniustum contra legem Dei. In multis enim ante ætatem consuetam, malitia supplet ætatem, & non tantum in malis, ut dicunt communia verba; quibus fortè habet civitas prudentiam ad malum: unde dicitur doli capax; sed etiam in bonis, iuxta illud in Legendæ s. Agnetis: Fides non in annis computatur.

Quærit à Doctore Subtili regulam, ex qua possit cognosci, quod aliquis sit adultus? Regula, inquit, est, quando aliquis instructus, & interrogatus, ordinatè percipit distinctè, quod iustum, & quod iniustum in lege divina; quod potest faciliter ridenti, si ad ordinatas interrogationes ordinatè respondet, sicut alius adultus per se debet ex similibus præmissis similiter responderet.

Igitur præceptum divinum obligat omnes baptizatos, in mortale lapsos, nullâ habitâ ratione tantæ vel tantæ ætatis; & ipsi soli mortaliter peccant non confitendo tempore præscripto. Si autem à me quæritur, quod sit illud tempus? Respondeo civitatis:

CONCLUSIO II.

Præceptum divinum Confessionis per se & immediatè non obligat, nisi semel in vita; adeoque satisfacit, qui confitetur in periculo mortis.

Voco obligationem per se & immediatam, quæ oritur ex vi talis præcepti, in propria natura, & virtute considerati, id est, concluso omni alio præcepto tam divino, quàm humano; & probo Conclusionem; quia ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ, ex qua Univerfa Ecclesia, inquit Conc. Trid. sess. 14. c. 5. semper intellexit institutum esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Ba-

ptimum lapsis iure divino necessariam existere, non intelligitur aliud tempus præscriptum huic præcepto adimplendo, quàm tempus præsentis vitæ, in quo Deus voluit sibi satisfieri pro peccato mortali commissio, per ejusdem mortalis peccati Confessionem; vel ostendatur ubi aliud tempus præscripserit.

Ostendo, inquis, ex ipsa institutione; nam hoc Sacramentum institutum est per modum iudicii; porro constat (Trident. auditis supra) Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent: ergo tali tempore obligat Confessio, quo homines possunt, non in genere dumtaxat; sed etiam in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarare, ac Sacerdotes in pœnis injungendis servare æquitatem; atqui in periculo mortis, illi, qui per multos annos vixerunt in peccatis mortaliibus, nequeunt in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarare, neque Sacerdotes possunt in pœnis injungendis servare æquitatè; ergo &c.

Ostendo II. hoc Sacramentum non est institutum, ut ultimo disponat hominem jam transiturum ex hac vita; hic enim potius est finis Extremæ Unctionis; sed ad curandos spirituales morbos, & præveniendum ne homo in similes incidat. Est ergo incredibile, tantum urgere hoc præceptum in articulo mortis.

Confirmo exemplo Eucharistiæ; nam quia illud Sacramentum non est tantum viaticum, sed præcipuè est spirituale alimentum; ideo præceptum de illo sumendo, non tantum obligat in articulo mortis, sed sæpè aliàs.

Ostendo III. quia hoc Sacramentum est determinatio quadam Pœnitentiæ, & modi, quo satisfaciendum est Deo pro peccatis; satisfactio autem non tantum obligat in articulo mortis,

Respondeo ex his ad summum probari, planè conveniens fuisse, ut Ecclesia determinaret certum aliquod tempus, præter articulum seu periculum mortis, in quo singuli deberent sua peccata Sacerdotibus confiteri, ut sic perfectius satisfacerent præcepto divino Confessionis, confitendo omnia & singula, & accipiendo Pœnitentiæ secundum cuiusque gravitatem.

Alioquin Concil. Trid. supra, ex institutione ne hujus Sacramenti nihil aliud colligit, quàm oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussam conscientiam habent, in Confessione recenseri. Et infra: Constat nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sue finis omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Quod autem, ut omnium peccatorum mortalium remittatur, debeat sæpius confiteri, aut alio medio uti, ne aliquorum obliviscat, nupiani docet Concilium.

24. Primum argumentum ad satisfactorium.

25. Secundum argumentum.

Confirmatur.

Tertium argumentum.

26. Responsio ad illa argumenta, & specialiter ad primum.

27. Responsio ad illa argumenta, & specialiter ad primum.

Vertical text in the left margin, including 'Copus quam et po- nulum', 'Dica- n. 3.', 'Cum', 'tem- tunc', 'cienda', 'im, &', 'omul- onem.', 'st eor- quid-', 'à non', 's, aut', 'neque', 're- dices', 'ia cri- enim', 'entia', 'onfir- is, &', 'dices', 'pontè', 'Ordi-', 'Hoc', 'emir-', 'onem', 'viam;', 'ita in', 'ibus', 'ab-', 'ore,', 'thuc', 'as er- solus', 'cata', 'fini;', 'quoniam', 'nis;', 'zati', 'ca.', 'que', 'ole- atia,'





Consimiliter quantum ad pœnas injungendas, *Debent* (inquit Conc. c. 8.) *Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutaris & convenientis Pœnitentiæ iniungere.* Quod autem pœnitentes debeant confiteri, quando melius possunt satisfacere, nullibi Concilium exprimit.

Igitur in periculo mortis, etiam illi, qui multo tempore in peccatis mortalibus vixerunt, possunt sua ipsi peccata in specie ac sigillatim declarare juxta institutionem Sacramenti, scilicet omnia, quorum post diligens examen meminerint, & Sacerdotes possunt servare æquitatem in pœnis injungendis pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate. Et sic responsum est ad primum argumentum Adversariorum.

27.  
Responde-  
tur ad 2. ar-  
gumentum,

Ad secundum, fateor summam utilitatem hujus Sacramenti ad curandos spirituales morbos, & præveniendum, ne homo in similes incidat; ergo est necessitas suscipiendi hoc Sacramentum extra periculum mortis, negatur Consequenter, quia non obstante illa utilitate, potuisset Deus relinquere Sacramentum omnino liberum; sicuti non obstante summa utilitate Sacramenti Confirmationis ad intrepidè confitendum Christum coram tyranno, & summa utilitate Extremæ Unctionis ad levius ferendum incommoda morbi, & tentationibus dæmonis resistendum, reliquit Sacramenta ista libera. Immo & ipsum Sacramentum Pœnitentiæ respectu peccatorum venialium, quibus tamen remittendis, & impolterum præcavendis, hæud parùm conducit. Quid si ergo reliquisset liberum respectu peccatorum mortalium? Constat, quia adhuc institutum fuisset ad curandos morbos spirituales, & in cautelam futurorum peccatorum. Omitto, finem principalem esse, remissionem peccatorum præteritorum; illa autem obtinetur ad sufficientiam in periculo mortis.

& ejus con-  
firmationis.

Ad confirmationem patet responsio ex disp. 4. sect. 8. concl. 7. quæ talis est: *Præceptum divinum Communionis videtur per se, & ratione sui, tantum semel in vita obligare, ita ut ei satisfiat quandoque communicetur.* Adeoq; est eadem ratio utriusque Sacramenti. Videantur ibi dicta.

28.  
Responso  
ad 3. argu-  
mentum.

Tertium argumentum nullam habet difficultatem. Admittimus libenter, hoc Sacramentum esse satisfactionem pro offensa divina; sed Christum exegisse illam satisfactionem extra periculum mortis, gratis asseritur, cum possit satisfieri per Contritionem Charitate perfectam; quamquam & incertum sit, an hæc Contritio sit necessaria ex præcepto divino per se & immediate, sub novo peccato mortali, extra articulum mortis, ut videre poteris disp. 6. sect. 4. concl. ult.

29.  
Quartum

Quartum argumentum desumitur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. ibi: *Neque enim per Lateranense*

Concil. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium & injunctum est intellexerat; sed ut præceptum (divinum) Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, eum ad annos discretionis pervenissent, impleverat.

Ergo, inferunt Adversarii, obligat præceptum divinum extra periculum mortis; alioquin præceptum annuæ Confessionis non esset illius determinatio, sed novum planè quid.

Respondeo neg. Conf. sed præceptum Ecclesiæ obligat me, ut quotannis impleam præceptum divinum Confessionis, cui alioquin satisfacerem tantum confitendo in periculo mortis. Unde si quis annuè non confiteretur, non infingeret præceptum Christi, sed Ecclesiæ; quæ præcipit, ut opus, quod alias possem differre usque ad finem vitæ, cum ex præcepto Christi immediate non obliger, nisi ad semel in vita illud exhibendum, ut inquam; illud opus singulis annis exhibeam, quo sic melius præcaveatur omne periculum non adimplendi præceptum divinum. Quamvis enim pro tunc non urgeat hoc præceptum, cum latum sit pro tempore indeterminato, scilicet pro tempore vitæ, quod planè incertum; hæud equidem dubium, quia omni horâ confitendo perfectè adimpletur.

Veluti qui vovit singulis diebus recitare Horas Canonicas, perfectè adimplet votum, si primò manè eas recitet, etsi pro tunc non urgeat votum; sed possit eam recitationem differre usque in finem diei; sic si pater in testamento mandet filio, ut tempore vitæ distribuatur mille aureos pauperibus, indubiè satisfacit volumini parentis, si hodie simul omnes distribuatur, quamvis distributionem possit differre usque ad finem vitæ, aut per partes singulis diebus distribuere. Neque si Superior præcipere recitare Horas primò manè, aut mille aureos primo anno in pauperes distribuere, propterea peccaret contra votum, aut contra voluntatem parentis, qui in aliud tempus diei differret lectionem Florarum, aut in aliud tempus vitæ distributionem mille aureorum; sed dumtaxat contra præceptum Superioris.

Atque sic res se habet in proposito calæ Confessionis, quicquid Aliqui reclamant, estimantes, præceptum divinum Confessionis etiam obligare extra articulum seu periculum mortis, tamen in tempore indeterminato, ita ut, si Ecclesia nullo tempore determinasset, nulla esset obligatio in actu secundo extra articulum seu periculum mortis.

Sed non sunt multiplicandæ obligationes sine necessitate; sufficit omnino, quod per determinationem Ecclesiæ resisteret nova obligatio præcepti Ecclesiastici, quam novo inficiatur, & de qua infra latius. Nova, inquam, obligatio; sed ad actum alioquin necessarium de jure divino, quamvis non pro hoc tempore; ac proinde præceptum annuæ Confessionis non est novum planè quid, sed determinatio præcepti divini.

Juvabit



Juvabit audire Doctorem Subtilem de hac controversia. Igitur 4. dist. 17. n. 21. lego sequentia verba: *Continet quarto* ( præceptum divinum Confessionis ) Quando, quia quando- cumque est in periculo mortis; quilibet enim, quando imminet iudicium damnationis vel misericordie, debet se preparare ad misericordiam quantum potest.

Et ne dubitares, quid intelligat per periculum mortis, continuo atrexit: *Istud autem non tantum est in infirmitate mortali, sed quando aggredditur ætus arduus, in quibus sit verisimile, quod mors imminet, ut in bello mortali, & in naufragio, & huiusmodi; & etiam quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reverentia specialis, ut quando vult communicare; quia sicut dictum est supra dist. 9. habita opportunitate Confessoris, nullus debet sine Confessione communicare; & in similibus simile est iudicium.*

Ubi in primis docet cum communi sententia, de cuius veritate nemo ambigit, præceptum divinum Confessionis obligare in periculo mortis. Et ratio est manifesta: quia obligat semel in vita; ergo ad minus in periculo mortis: non quasi illud sit tempus à Deo ordinatum ad susceptionem Sacramenti (sufficit enim, quod ante aliquando fuerit susceptum) sed quia, nisi tunc recipiatur, non poterit recipi in vita, aut saltem homo exponit se manifesto periculo non recipiendi in vita, cum tamen teneatur in vita recipere.

Secundo docet, obligare præceptum divinum Confessionis, quando est sumenda Eucharistia, quod probabilius est, ut patet ex dictis dist. 4. sect. 10. concl. 3. sed non opponitur nostræ Conclusioni, cum sit obligatio per accidens, orta ex magna reverentia & sanctitate, debita per speciale præceptum sanctitati & divinitati celestis huius Sacramenti.

Addit Scotus: *Et in similibus simile est iudicium: nempe* ( inquit Hiquæus in suo Commentario ad istum locum n. 37. ) in ministerio, aut receptione aliorum Sacramentorum, quæ specialem hanc reverentiam exigunt, ut sancta sanctè tractentur. Et ibidem n. 57. docet Hiquæus; quoties certum est, obligari peccatorem ad Pœnitentiam, & opportunitas adest, teneri eum confiteri sua peccata, & maxime in receptione Sacramentorum.

Probat; quia hoc medium est magis certum, & divinâ institutione ordinatum, tanquam medium necessarium in re, aut voto, ad recuperandam primam gratiam, in re verò ipsa, tanquam medium ordinatum satisfaciendi Deo, & Ecclesie, etiam iure divino, quo data est potestas ligandi, & solvendi Ecclesie.

Patet ex Trid. sess. 6. c. 14. ibi: *Vnde docendum est, Christiani hominis Pœnitentiam post lapsum uniuersam esse à baptismali, eaq; contineri non modo cessationem à peccatis &c. verum etiam eorumdem sacramentalium Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam &c. Et*

sess. 14. c. 14. ibi: *Ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Ergo quocumque obligat præceptum divinum Pœnitentiæ, etiam obligat medium ordinatum, nisi aliquid obstat. Etenim si obliget præceptum Pœnitentiæ ad Sacramentum in voto, cur non ad ipsum Sacramentum, quando commodè suscipi potest? Numquid possum habere efficacem propositum suscipiendi Sacramentum, & non suscipere, quando nullum adest impedimentum suscipiendi? Herculè perfecta conversio in Deum determinat voluntatem, ad integram satisfactionem præstandam Deo, quam possum hic & nunc commodè præstare, & ad quam obligor ex præcepto: similiter ad præstandam satisfactionem debitam Ecclesie, per iudicium Sacerdotis absolventis à peccato, & ligantis ad penam.

Respon. hæc omnia nihil aliud probare & convincere, quàm maximam congruitatem & convenientiam; secus omnimodam & strictam necessitatem tanti oneris, quantum ab aliquibus estimatur esse Confessio. Nam quod ait Hiquæus supra n. 46. Confessionem magis alleviare jugum, quia multò facilior est & securior, repugnat multorum fidelium apprehensionibus, qui non attendentes tot tantæque commoda & consolationes, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per Absolutionem certissimè conferuntur, reputant Confessionem unum ex gravissimis oneribus novæ legis.

Cum ergo onera non sint extendenda, sed potius restringenda, & non appareat vel in Scriptura, vel in Traditione, aut in Conciliis, aut in SS. Patribus expressum mandatum confitendi ante perceptionem omnium Sacramentorum, non est illud onus fidelibus imponendum.

Hinc Scotus supra n. 28. loquens de præcepto Ecclesiastico confitendi semel in anno, inquit: *Et si dicas, quod hæc specificatio est laxatio, quia prius tenebantur statim confiteri, habita opportunitate Confessoris; nunc autem non tenentur usque ad quadragesimam.* Respon. utrumque est dubium aliquibus, quibusdam dicentibus, quod tunc & nunc tenentur statim habita opportunitate Confessoris confiteri; quibusdam dicentibus, quod nec tunc, sed tantum in voto confiteri pro aliquo tempore ante mortem; nec nunc, sed pro voto confiteri semel in anno.

Secundum (prosequitur Doctor) videtur esse mitius; quia præcepta penalis non sunt amplianda, sed restringenda: nec inveniuntur quando præceptum istud affirmativum liget vel obliget, nisi ad aliquando; & illud quando autem specificationem Ecclesie fuit indeterminatum ad quocumque; quando ante mortem; sed post specificationem est indeterminatum ad quocumque quando unicum in anno; semper tamen oportet habere voluntatem confitendi tunc, pro quando præceptum obligat; hoc dico sic, quod pro nunquam solutionem habeat. Hæc ille.

35. ad quam respondet Auctor, eam nihil aliud convincere quam mixtam esse rationem.

Onera sunt restringenda.

36. An Confessio statim post peccatum obliget ex Scoto.

37. An Confessio obliget ad satisfactionem in voto.

38. An Confessio obliget ad satisfactionem in voto.





37. Sententia negativa est communis.

Contrarium docet D. Bona de Religiosis.

Itaque secundum Scotum (& est communis sententia contra Guil. Paris. & quosdam alios) nec nunc obligat, nec olim obligavit Confessio statim post peccatum commissum, sive secularis, sive Religiosus. Contrarium de his docet D. Bona. 4. dist. 17. p. 1. a. 2. q. 2. ibi: Et ideo aliter censendum est hic, de Religioso, aliter de laico. Nam Religioso totum tempus vite est tempus Penitentia, & ideo habet copiam Sacerdotis, si peccaverit mortaliter, credo quod teneret sine mora confiteri, & ad ipsum recurrere. Et intelligitur sine mora, sicut ratio recta determinat. Laicus vero rationabiliter potest expectare tempus quadragesimale, quod est tempus Penitentia. Unde cum tempus sit magis opportunum in eis ad satisfaciendum & confitendum, si expedit, rationale est iudicare, quod non peccent, dum tamen proponant firmiter summa temporis confiteri. De Clericis vero iudicare non audeo, consilium tamen sanum credo, quod omnes qui cadunt per mortale, quam citius possunt confiteantur; non enim videtur vere contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum. Haec tenus Doctor Seraphicus.

38. Sed videtur quod sine sufficienti ratione.

7. 20.

Sed (salva ejus reverentia) videtur sine sufficienti ratione distinguere, ubi Deus & Ecclesia non distinguunt. Nam Deus generaliter dixit Apostolis: Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, Joan. 20. v. 23. Ex quibus verbis universa Ecclesia semper intellexit, integram peccatorum Confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere. Quod autem necessaria existat pro prima opportunitate, nusquam Ecclesia significat; sed potius contrarium, quando generaliter praecipit, ut omnis utriusque sexus fidelis, nulla facta distinctione inter Religiosum, laicum, & Clericum, praecipitum divinum saltem semel in anno impleat. Quam utique determinationem Ecclesiae omnes fideles sic intelligunt, ut extra periculum mortis, semel in anno confitendo, esto centies esset opportunitas, putent se satisfacere tam praecipitum divino, quam Ecclesiastico Confessionis. Neque ullus Confessorius aliud inquirat, quam an semel in anno fuerint confessi; nulla habita ratione opportunitatis sapienter confitendi.

39. Alioquin Ecclesia significat illam obligationem particularem Religiosorum.

Si ergo Ecclesia judicasset & judicaret, Religiosos debere confiteri sine mora, sicut recta ratio determinat, id est, pro prima opportunitate, quidni uno verbo illam obligationem insinuasset & insinuaret? Nam tacendo, cum sciat suum praecipitum sic ab omnibus intelligi, dat occasionem materialis saltem transgressiois praecipitum divini Confessionis. Nonne si Episcopus conderet statutum, ut omnes audirent Sacrum, saltem semel in mense, daret subditis occasionem cogitandi, se liberos esse a frequentiori auditione Sacri? Et licet aliter posset intelligi, si tamen sciret subditos sic intelligere, & taceret, cum commode

posset mentem suam aperire; nonne tacendo daret occasionem subditis materialiter saltem peccandi, contra praecipitum universalis Ecclesiae, audiendi Sacrum singulis diebus Dominici & Festivi? Non est dubium. Ergo non est verisimile, quod Ecclesia unquam intellexerit, Confessionem necessariam jure divino existere omnibus fidelibus post Baptismum lapsis, aut etiam solis Religiosis, statim post peccatum commissum, aut pro prima opportunitate; praesertim, cum nec ipsa penitentia sic obliget, ut patet ex dictis disp. 6. sect. 4. concl. 3.

Relicta ergo sententia D. Bona. qua quidem pia est, sed multiplicat obligationes ab illa que solido fundamento, adhaere sententia Doctoris Subt. & dico cum ipso supra: Praecipitum penitentiae non sunt amplanda, sed restringenda; nec invenitur, quando praecipitum istud affirmativum liget vel obliget, nisi ad aliquando, & illud quando ante specificationem Ecclesiae, sicut determinatum ad quocumque quando ante mortem.

Ergo non est, quod Hiquas istud determinet ante receptionem omnium Sacramentorum, & ad quocumque tempus, in quo obligat praecipitum Penitentiae, & adest opportunitas confitendi, nisi forte Deus specialiter ipsi commiserit illam determinationem, quod non credo.

Ad rationem ejus supra adductam; Respondeo; hanc determinationem non metiendum ratione, sed voluntate divina, quae potuit habere justissimas rationes non obligandi, nisi in periculo mortis; est minus convenientis, nisi ut extra periculum fideles confiteantur, & ideo determinationem illius temporis reliquit Ecclesiae; quae omnibus confideratis, nulli determinavit tempus, in quo obligat praecipitum Penitentiae, aut tempus receptionis omnium Sacramentorum; sed voluit, ut fideles singulis annis confiterentur, & ante receptionem Eucharistiae, propter singularitatem ejus praeter alia sanctitatem & dignitatem.

Unde bene Scotus supra: Et in similibus, inquit, simile est iudicium. Cum ergo alia Sacramenta, non sint per omnia similia, Sacramento Eucharistiae, ut docet Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 3. in principio dicens: Commune hoc quidem est Sanctissima Eucharistia cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae, & invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in excellentius & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctificatus Auctor ante usum est; quid miramur, si sumptio Eucharistiae praerequirat Confessionem peccatorum, tanquam medium certius & securius recuperandi primam gratiam; ad alia autem Sacramenta sufficiat Contritio charitate perfecta? Potius miremur, Ecclesiam, si iudicasset, eandem esse rationem de omnibus Sacramentis, nusquam illam obligationem respectu aliorum



rum Sacramentorum vel verbo insinasse.  
 Immo Aliquibus videtur contrarium signi-  
 ficare, quando scilicet 24. de Reform. Matr. c. 1.  
 circa finem ait: Postremo sancta Synodus coniuges  
 hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo  
 ante Matrimonii consummationem sua peccata dis-  
 tincte confiteantur & ad Sanctissimum Eucharistia  
 Sacramentum præ accedant. Porro ly hortatur si-  
 gnificat congruentiam, & non obligationem.  
 Respondet Hiquæus supra n. 64. Conci-  
 lium non supponit contrahentes Matrimo-  
 nium esse in peccato mortali: adhortatur ergo  
 ad Confessionem, & Communionem, saltem  
 tribus diebus ante consummationem Matrimo-  
 nium, ad implorandum potius divinum  
 auxilium ad onera Matrimonii supportanda.  
 Sed contra; neque Concilium supponit,  
 eos, qui accedunt ad Eucharistiam, esse in  
 peccato mortali; & tamen expressè declarat  
 scilicet 13. c. 7. eam probationem necessariam esse,  
 et nullis sibi conscius mortalis peccati, quantumvis  
 sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramen-  
 tali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere  
 debeat. Quod & hic debuisset facere, si esset  
 eadem obligatio. Jam autem neque hic fecit,  
 neque in aliqua alio Sacramento, præter Eu-  
 charistiam; porro, secundum commune dictum,  
 Exceptio fit in regulam in contrarium.  
 Fateor, Confessio est medium à Deo ordina-  
 tum ad primam gratiam recuperandam; est me-  
 dium certius & securius; est medium ordina-  
 tum à Deo ad perfectè ipsi satisfaciendum, &  
 etiam Ecclesiæ visibili, quæ non iudicat, nisi de  
 exterius & visibilibus; attamen tale medium,  
 quod sufficiat in vita aliquando adhibere, hoc  
 vel illo tempore, per se loquendo, & quantum  
 est ex præcepto immediato Dei. Quamquam  
 enim Deus potuisset sapius in vita requirere  
 illud medium, etiam statim post peccatum  
 commissum; equidem fecisse, quod potuit  
 facere, nec constat ex Scriptura; nec ex Tra-  
 ditione, nec ex SS. PP. neque ex Oecumenicis  
 Conciliis.  
 Dico; Per se loquendo, & quantum est ex præ-  
 cepto immediato Dei, quia radicaliter & mediatè,  
 aut per accidens sapius obligat, ut dictum est,  
 & infra adhuc dicitur; nostra Conclusio tan-  
 tum loquitur, ut patet ex ejus verbis, de  
 obligatione præcepti divini per se, & imme-  
 diata.  
 Cæterum quod Hiquæus supra addebat;  
 Non posse quempiam habere votum Confessionis, nisi  
 actu confiteatur, si ad sit opportunitas, falsum  
 omnino est. Siquidem ubi scriptum aliquis  
 legit: Contritio Charitate perfecta non re-  
 conciliat, sine voto statim confitendi, aut  
 confitendi primâ opportunitate? Non sic  
 loquitur Tridentinum, sed inquit: Ipsam  
 nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine  
 Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse  
 adscribendam, id est, sine sacramentali Con-

fessione saltem in voto, & suo tempore faci-  
 endâ, juxta illud ejusdem Concilii scilicet 6. c.  
 14. Docendum est, Christiani hominis Penitentiam  
 post lapsum, multo aliam esse à Baptismali; eaque  
 contineri non modo cessationem à peccatis &c. verum  
 etiam eorundem sacramentalem Confessionem, sal-  
 tem in voto, & suo tempore faciendam, puta ex  
 præcepto divino in periculo mortis, aut alio  
 casu æquivalente, aut certè singulis annis ex  
 determinatione Ecclesiæ.  
 Igitur votum illud solum probat simpli-  
 cem obligationem Confessionis; non autem  
 quod sit obligatio pro prima opportunitate,  
 aut pro omni tempore, quo præcepta est vera  
 Penitentia; cum Penitentia possit esse vera,  
 & per consequens remissiva peccatorum sine  
 actuali Confessione, etiam quando, aliquin  
 opportunum foret confiteri.  
 Si enim aliquid obfaret, esset virtualis  
 contemptus Sacramenti. Verum enim verò  
 veluti non contemnit Sacrum, qui non audit  
 illud, estò habeat opportunitatem audiendi,  
 dummodo non sit obligatio; ita etiam non  
 contemnit Confessionem, nequidem virtua-  
 liter, qui eam non adhibet, estò commodè  
 possit, dummodo prudenter existimet hic &  
 nunc non esse obligationem.  
 Finio verbis Scoti desumptis ex Reportatis  
 (Lugduni impressis) 4. dist. 17. n. 27. Quan-  
 tum ad Quando, semper omni tempore, quando  
 imminet periculum mortis vel mors, ut quando vadit  
 ad bellum, vel ultra mare, vel tempore gravis in-  
 firmi-tatis. Similiter quando vult communicare; &  
 quoties talis necessitas vel periculum imminerit,  
 tenetur quilibet confiteri; & ad hoc non obligatur  
 aliquis ex præcepto Ecclesiæ, superaddito præcepto  
 Dei de Confessione faciendâ; sed ex præcepto Dei,  
 quæ omnem hominem obligat ad eligendum viam  
 salutis, & ad susceptionem Sacramenti Penitentia,  
 per quam recuperat gratiam, quam perdidit per  
 peccatum: quia sine gratia impossibile est placere  
 Deo.  
 Ubi solius meminit Eucharistia; præter-  
 quam, quod jus illud divinum, quando vult  
 communicare, non sit omnino certum, ut  
 diffusè probavimus disp. 4. sect. 10. concl. 3.  
 quanto minus quando vult suscipere alia Sa-  
 cramenta? Nemo autem dubitat de periculo  
 mortis.  
 Unde factum est, quod Innocentius III. in  
 Concilio Generali Lateranensi c. 22. & refer-  
 tur de Penit. & Remiss. c. Cum infirmitas 13.  
 Medicis præceperit, ut cum eos ad agrotos vocari  
 contigerit, ipsos ante omnia moneant, ut animarum  
 medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema agritu-  
 dine constitutus suaderetur, in desperationis articulum  
 incidant. Ita refert Pius V. in Bulla: Super gre-  
 gem Dominicum 3. apud Cherubinum §. 1.  
 Subjungit §. 2. & 3. Nos igitur volentes hoc  
 eam salutare præceptum, nullâ temporis præscrip-  
 tione aboleri; sed semper observari, Constitutionem  
 præ-

45. Votum Confessionis solum probat sim- plicem obli- gationem

Objecto solvitur.

46. Conclusio- nis veritas Scoti non est in præcepto Ecclesiæ

47. Præceptum Innoc. 3.

& Pii 5. concernens Medicos.





presatam auctoritate Apostolica renore presentium innovamus, & hac nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus & decernimus, quod Medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint; hoc ante omnia moneant, ut idoneo Confessor omnia peccata sua iuxta ritum S. R. E. confiteantur; neque tertio die ulterius eos visitent; nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem Confessoris in scriptis factam confiterentur, quod infirmi, ut premititur, peccata sua confessi fuerint.

Præterea §. 6. eadem auctoritate præcipit & mandat, ut nullus post hæc ubique locorum in Medicina doceatur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quovis Collegio & Universitate concedatur, nisi omnia in presentia nostra Constitutione contenta, medio coram iuramento coram Notario publico & testibus observare in eorum manibus vel Ordinariis iuraverint, & de huiusmodi iuramento in privilegio seu licentia medendi specialis mentio fiat.

De hac Constitutione Pii V. & obligatione Medicorum tractat Diana parte 3. tr. 4. resol. 93. & in primis ait: Quæ quidem Constitutio renovatur c. Cum infirmus De Pœnit. & Remiss. Fortè dicere voluit: Renovat, nam cap. Cum infirmus est Innoc. III. quem citat Pius V. in sua Constitutione.

Notat II. contra Cherubinum & alios, quos citat, dictas Constitutiones Pontificias non obligare in quibuscumque morbis, sed in morbo gravi, vel qui in principio prudenter iudicatur à Medico periculosus, ut gravis efficiatur. Ita multi DD. quos ibi refert Diana. Et meo iudicio videtur satis aperte colligi ex ratione legis: Ne cum eis hoc in extrema agitudine constitutis (in qua utique est obligatio juris divini confitendi) suadetur, in desperationis articulum incidant. Ita Pius V.

Hæc sunt verba Innocentii: Hoc quidem inter alia hinc causam dedit edito, quod quidam in agitudine lecto iacentes, cum eis à Medico suaderetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidant, unde facilius mortis periculum incurrun. Ergo loquantur Pontifices de illis morbis, qui à Medico iudicantur graves futuri, ita ut prævideant necessitatem juris divini confitendi, quamvis fortè hic & nunc nondum sit necessitas; quia nondum periculum mortis. Atque sic habet consuetudo, quæ est optima legum interpret.

Notat III. Diana cum Aliis, quos citat, satis esse, si Medicus admoneat per alios, ita legem interpretante consuetudine. Et ratio mea est, quoniam finis legis obtinetur, si infirmus inducatur ad Confessionem per Medicum, sive per alium quempiam ex assistentibus.

Ex quo etiam deduco, non esse opus admonitione, quando aliunde infirmus prom-

ptus est ad confitendum, aut scitur non indigere Confessione; quia minimè obnoxius peccatis mortalibus non confessis. Quis enim Medicorum admonet Religiosos infirmos, ut confiteantur?

Sed quid si infirmus pertinax maneat in renuenda Confessione, quando tamen scitur eum indigere ad salutem animæ suæ? Numquid Medicus vi Constitutionis Piane tenetur eum deserere?

Respondet Diana supra; si æger in probabili mortis periculo constituitur, non esse deserendum à Medico. Immo, inquit, idem dicendum est; quoties Medici absentia esset graviter ægro nocitura. Rationem alligat Sanchez in Summa lib. 3. c. 16. n. 10. (ubi docet hanc sententiam) quia contra Charitatis ordinem videtur, non subvenire ægro in necessitate corporis, & animæ; qui fortè desperans obibit: & fortè Medico non deserente, ad pristinam sanitatem restitutus, aut morbo ingravescente, ad meliorem frugem recipiet. Hæc ille.

Sed libenter ego scirem, quo ergo casu Medicus, secundum Constitutionem Pii V. teneatur deserere infirmum; nam secundum Sanchium ibidem n. 7. Diana supra, Suarium disput. 35. sect. 3. nu. 4. & plures alios, Docetum Pii V. intelligitur de quocumque morbo gravi, vel quando Medicus prudenter iudicat periculum morale esse, ut morbus gravis fiat: sed in illis morbis absentia Medici semper est graviter ægro nocitura; ergo nullus datur casus, in quo Medicus teneatur infirmum monere, ut confiteatur; & si nolit confiteri, debeat eum deserere. Quam ad obligationem Charitatis; Medico deserente, & morbo ingravescente, infirmus periculo mortis exterritus, fortè ad meliorem frugem se recipiet, alioquin permanens in peccatis & fortè in illis moriturus.

Docet ibidem Sanchez n. 12. Quod quando creditur certò monitionem nil profuturam, ob ægri obstinationem, nec Medicus teneatur eum admonere, nec eum deserere; nam Pontificis mens fuit, spirituali ægri saluti consulere, & nil frustraneum præcipit; at in hoc casu frustranea esset admonitio, nec ad eum finem conducens. Item, quia urgentius est præceptum naturale divinum prædictæ admonitionis infirmi in mortis periculo constituti, quod tamen cessat in hoc eventu. Rarissime tamen aut nunquam hoc accidit; quia Medicus debet esse certus de hoc, & in dubio, an proderit, teneatur admonere. Hæc ille.

Addo ego, & teneatur deserere, si vel minima assilgeat spes, quod occasione desertionis infirmus ad meliorem frugem se recipiet. Nam propterea Pontifex eam desertionem ordinavit & præcepit; quia suppositus esse medium efficacissimum inducendi infirmum ad veram Penit-

43. Circa hoc præceptum notat Diana.

Notat a. non obligare in quibuscumque morbis.

49. Notat 3. satis esse, si Medicus per alium admoneat.



Penitentiam, ex jure divino in periculo mortis obligantem. Quamquam hæc obligatio juris divini, non sit tota ratio Constitutionis; sed etiam quia nonnumquam peccatum solet esse causa infirmitatis, ut patet ex verbis Innocentii III. Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino Languido, quem sanaverat: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat, præfenti decreto statuimus, & districte præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut Medicas advovent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis Medicinæ remedium salubrius procedatur; cum causâ cessante, cesset effectus.

Verum hæc non fuisse præcipuam causam, planè mihi persuadere ex gravitate pœnæ: Si quis Medicorum, inquit Innoc. huius nostræ Constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor existerit, tam diu ab ingressu Ecclesie arceatur, donec pro transgressione, huiusmodi satisfecerit. Hanc pœnam renovat Pius V. addens perpetuam infamiam, & privationem gradus Medicinæ; nec non ejectionem à Collegio seu Universitate Medicorum, ac pœnam pecuniariam arbitrio Ordinariorum. Hæc, inquam, pœnæ, cum satis graves sint, & per consequens satis gravis obligatio præcepti, videntur Pontifices magis attendisse ad periculum non implendi præceptum divinum Confessionis in articulo mortis, quàm ad salubrius remedium corporalis medicinæ.

Ceterum quod dicitur in Constitutione Pii V. de fide Confessoris in scripti, facta, ita interpretatur communis praxis, ut sufficiat testimonium eorum, qui infirmorum curam gerunt, si sint fide digni; immo talis potest esse infirmus, ut ejus testimonium sufficiat. Ita Diana supra cum Aliis, quos citat. Enimverò cum hoc decretum sit humanum; & ideo consuetudine aboleri possit in totum, vel in partem; hinc non aliter obligat, quàm usu receptum est, videntibus & dissimulantibus Prælati, quibus incumbit curare, ut Medici illud exequantur.

Ac proinde juramentum, de quo meminimus, non obligat Medicos, nisi in quantum motus proprius Pii V. usu receptus est, & prout ille obligat: nam ut ait Reg. Juris 42. de Reg. Juris in 6. Accessorium naturam sequi congruit principali. Et ideo sic docet Suarez supra n. 5; Sanchez n. 15. Diana, & Alii. Quare; inquit Sanchez, cum videamus illum minimè usu receptum esse, idque videntibus & dissimulantibus Prælati, juramentum id non obligat, nisi in iis locis; ubi id decretum usu receptum est. Quamobrem in aliis locis solum tenentur Medici quoad hoc servare præceptum juris divini naturalis (puta præceptum Charitatis, quo quis tenetur procu-

rare bonum proximi quantum commodè potest) nec tamen erunt perjuri illud transgrediendo; quia juramentum est tantum de servando motu proprio Pii V. qui longè aliud disponit, nec usu est receptus. Hæc ille.

Sed quoniam consuetudo non in omnibus locis semper eadè est; Si fueris Romæ, Romano vivito more, & si sis alibi, vivito sicut ibi. Ego autem revertor ad præceptum divinum consistendi in periculo mortis; quod nec in totum, nec in partem consuetudine potest aboleri, ut est communis Theologorum sententia; & ideo ubique locorum observari debet eodem planè modo, quo jus naturale, de quo scriptum habes cap. Fin. de Consuetudine: Cum tando sint graviora peccata; quando divinis infelicem animam detinent alligatam, nemò sana mentis intelligit, naturali iuri (cuius transgressio periculum salutis inducit) quacumque consuetudine (que dicenda est veritas in hac parte corruptela) posse assuetudinem derogari.

Ratio est; quia consuetudo suam vim habet ex voluntate humana, quæ, ut clarum est, non potest præjudicare voluntati divinæ, ad quam spectat lex naturalis, & positiva divina; neque ostendi potest jus divinum ullibi dispositum, aut concessisse consuetudini vim abrogandi in totum, vel in partem jus naturale, aut positivum divinum; immo potius contrarium, ut patet ex Matth. 15. v. 3. Quare & vos transgredimini mandata Dei, propter traditionem vestram? Et v. 6. Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.

Interim tamen, cum lex divina positiva signo aliquo externo data sit, quod utique signum sæpè ambiguum est propter diversâ significata; hinc planè conveniens erat, quòd Ecclesia potestatem haberet interpretandi legem divinam positivam; ejusque genuinum sensum explicandi; sicut videmus quotidie fieri. Cum ergo dubium sit, quid Christus intellexerit per periculum mortis, in quo obligavit omnes fideles, qui mortaliter peccassent, ad Confessionem, ad Ecclesiam spectat mehtem ejus interpretari.

Et quidem satis convenit inter Doctores, non solum intelligi physicum articulum mortis, quando jam nulla superest spes ulterioris vitæ; sed etiam rationabilem timorem instantis mortis, estò cum aliqua spe eam evadendi, ut in navigatione periculosa, & quando instat prælium; & quando delicata fœmina primùm parturit, vel que partus difficiles habere solet, & in similibus casibus æquivalentibus. Dubitatur verò ab Aliquibus, an sit casus æquivalens, quando quis jam habet copiam Confessarii, quam postea per totam vitam non habebit; item quando est periculum oblivionis peccatorum. Resolutio dubii erit

§ 4. Præceptum divinum consistendi in periculo mortis non potest aboleri consuetudine.

Probatio. Ratio est; quia consuetudo suam vim habet ex voluntate humana, quæ, ut clarum est, non potest præjudicare voluntati divinæ, ad quam spectat lex naturalis, & positiva divina; neque ostendi potest jus divinum ullibi dispositum, aut concessisse consuetudini vim abrogandi in totum, vel in partem jus naturale, aut positivum divinum; immo potius contrarium, ut patet ex Matth. 15. v. 3. Quare & vos transgredimini mandata Dei, propter traditionem vestram? Et v. 6. Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.

§ 5. Ecclesia potest interpretari præcepta divina.

Quid Ecclesia hic intelligat per periculum mortis.





CONCLUSIO III.

Præceptum divinum Confessionis obligat per se & immediate, quando quis habet copiam Confessarii, quam postea per totam vitam non habebit; secus si solum sit periculum oblivionis.

56. Prima pars Concl. ab aliquibus negatur. Prima pars Concl. ab aliquibus negatur. Satis sit fundamentorum.

Prima pars est communis paucis contradicentibus, quorum sententiam, ut refert Lugo disp. 15. n. 37. probabilem dicit Joannes de la Cruz in Direct. p. 2. de Pœnit. q. 3. dub. 3. Fundamentum esse potest, quod non teneamur prævenire tempus obligationis, quamvis prævideamus impedimentum, ut de Communione Paschali docuimus disp. 4. sect. 9. concl. 2. jam autem tempus in quo urget præceptum divinum Confessionis, est articulus seu periculum mortis, quod tunc nondum est.

Respondeo, disparitatem esse inter præceptum divinum Confessionis, & præceptum Ecclesiasticum Communionis Paschalis, quod hoc præceptum respiciat determinatum tempus Paschæ, pro quo præcisè latum est; illo ergo nondum existente, necdum exilit obligatio, adeo ut si quis prævenire, nihilominus non impleat præceptum, & rursum deberet comminicare tempore Paschali, si impedimentum casu cessaret; at verò præceptum divinum Confessionis absolute obligat ad semel in vita suscipiendum hoc Sacramentum; adeoque semper adest tempus obligationis, & urget obligatio, quando prævidetur, quod nisi hoc tempore suscipiatur, postmodum in hac vita non poterit suscipi.

Neque enim obligat in articulo seu periculo mortis, quasi illud sit tempus à Deo ordinatum ad susceptionem illius Sacramenti; sufficit namque, secundum omnes, quod antea aliquando susceperit, id est, quod pro tunc nullum habeat peccatum mortale, quod non fuerit aliquando directè remissum virtute Clavium; sed quia nisi tunc confiteatur, amplius in tota vita non poterit confiteri. Idem autem cernitur in casu Conclusionis, qui proinde æquivalet quoad hoc punctum articulo seu periculo mortis.

Si inferas; ergo etiam periculum oblivionis æquivalet, quod est oppositum secundæ partis Conclusionis. Resp. neg. Conf. Do rationem discriminis; quod oblivio aliquorum peccatorum non impediatur omnino susceptionem Sacramenti, quemadmodum impedit absentia Confessarii.

57. Objectio. Solvitur.

Inflas; impedit omnino directam Absolutionem illorum peccatorum, quæ tamen videtur præcepta. Respondeo ex Tridentino sess. 14. c. 5. ubi post innotatum præceptum divinum Confessionis, aditum subiungit: Ex his colligitur, oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui conscientiam conscientiam habent, in Confessione recitari. Et infra: Constat nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigere, quam ut, postquam quisque diligentem se excusserit, & conscientiam suam omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offenderisse meminerit: reliqua autem peccata, que diogenes cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. Ergo non precipitur directæ Absolutio omnium omnino peccatorum; sed illorum tantum, quæ diligenter cogitanti occurrunt.

Planè inquis, & ideo est obligatio confitendi, quando memoria occurrit; adeoque statim, si est periculum oblivionis, cum præceptum divinum quocumque tempore possit impleri.

Nec Satisfacis, si reponas; quia pauci sunt, qui non exponunt se tali periculo, differendo Confessionem usque in finem anni, quæ tamen dilatio ab omnibus admittitur licita (quamvis consultius sit sæpius confiteri) propterea caput: Omnis utriusque sexus 12. de Pœnit. & Remiss. ibi: Omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.

Non, inquam, satisfacis; quia ibi non dicitur, quod non debeat sæpius confiteri; sed solum præcipitur, ut saltem semel in anno confiteatur, idque proprio Pastori. Ergo Concilium Lateranense declaravit, non esse obligationem, nisi confitendi semel in anno, negatur Conseq. Et instantia est manifesta, quando intra annum occurrit periculum mortis, in quo, secundum omnes, tenetur confiteri, si incidit in novum peccatum mortale, tamen prius eodem anno confessus fuisset.

Est igitur talis, differens Confessionem, cum periculo oblivionis aliquorum peccatorum, usque ad finem anni, satisfaciatur præcepto Ecclesiastico; haud equidem sequitur, satisfacere præcepto divino, quod obligat ad Confessionem omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, sive proprio Pastori sive alieno habenti eandem jurisdictionem, quando cumque erit periculum, ne postea propter oblivionem talia peccata possit confiteri, & ab illis directè absolvi.

Hanc sententiam, ut refert Diana p. 3. tr. 4. resol. 155. docet Medina Complutensis Cod. de Pœnit. tr. 2. q. 14. §. 2. sub finem, & Diodacus Nugnus in 3. p. to. 2. q. 6. a. 5. diff. 1. apponit concl. 4. nec caret sua probabilitate, quamvis contraria, quæ est secunda pars nostræ Conclusionis, sit magis communis, & passim in scholis



Scholis recepta, & Neotericorum scriptis divulgata.

Optimè autem probatur ex cap. Omnis utriusque sexus mox allegato, accedente communi sensu tum fidelium, qui non judicant se peccare, tametsi cum periculo oblivionis aliquorum peccatorum differant Confessionem usque ad finem anni; tum Confessoriorum, qui non judicant poenitentes, peccasse, quantumvis cum periculo oblivionis aliquorum peccatorum distulerint Confessionem usque ad finem anni; & idcirco non solent in hac parte examinare poenitentes, ut accusent se de violatione præcepti divini, vel saltem ad cautelam, quamvis dicat Nugnus supra, id debere fieri.

Libenter admitto, cap. Omnis utriusque sexus non omnino convincere, ut patet ex dictis; interim præbet solidum fundamentum suspicendi & judicandi, non fuisse intentionem Christi, obligare fideles in tali casu ad Confessionem; cum enim casus frequentissimus sit, & ferè quotidianus, & præceptum Ecclesiasticum sit determinatio præcepti divini, mirum foret, quòd Ecclesia, illius casus nullà factà mentione, simpliciter præciperet semel in anno confiteri; cum regulariter per se ex præcepto divino sæpius foret confitendum.

Si respondeas; posset satisfacere huic obligationi scribendo nunc peccata. Posset omnino; sed neque ad hoc tenetur, inquit Lugo disp. 157 n. 41. quia præceptum est solum confitendi peccata, quæ tunc occurrunt memoris; præmissio examine humano modo; non est autem humanus modus illa exquisita & metaphysica diligentia observandi, & notandi omnia peccata, & circumstantias, prout successivè fiunt, & scribendi eas, ne memoria decidant; sed potius esset gravissimum onus & inutile, immo noxius valde laqueus conscientis superadditus, quare non debuit præceptum cum eo rigore imponi. Hæc ille.

Et verò quamvis existimem, non esse obligationem scribendi; equidem non rarè inveniuntur, qui ad juvandam memoriam, & ne aliquorum inter confitendum obliviscantur, in charta describunt peccata sua, & ex illa confitentur; nec existimant hoc gravissimum onus & inutile, sed maximum sublevamen, & rem valde utilem, ne postmodum cum iterato robore sæpius debeant confiteri, peccatis tunc oblitis, hic & nunc memoriæ occurrentibus. Interea sensus communis tum fidelium, tum Confessoriorum non agnoscit obligationem juris divini, quod evidens signum est, nullam talem subesse. Cùmque satis difficile sit confiteri peccata, quæ pro tunc diligenter cogitanti occurrunt, ubi Dominus bonus est, oculus noster non debet esse ne-

quam, id est, imponere obligationem, ubi non constat, Dominum eam imposuisse.

Unde miror doctrinam Lugonis suprâ n. 37. ubi ait: Et idem est, si aliquis habet peccata reservata, à quibus adest nunc, qui eum absolvat; postea verò non habebit, à quo possit absolvi; nam præceptum confitendi ea peccata obligat ad Confessionem nunc faciendam. Hæc ille, comparans hunc casum primò casui Conclusionis nostræ, quando aliquis nunc habet copiam Confessoris, quam postea non habebit per totam vitam.

Sed disparitas est nimis manifesta; nam, ut suo loco videbimus, in articulo seu periculo mortis cessat omnis reservatio, juxta illud Trident. sess. 14. cap. 7. circa finem: In eadem Ecclesia Dei constitutum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; ergo qui jam poterit absolvi à reservatis, etiam poterit ab illisdem absolvi in articulo seu periculo mortis, in quo solo per se & immediatè obligat præceptum divinum Confessionis; ergo nulla obligatio nunc confitendi illa reservata.

Dices; Cardinalis supponit, quòd postea non habebit, à quo possit absolvi. Respondeo; perperam hoc supponit, ut patet ex jam dictis, nisi supponat defectum omnis Confessorii, atque tunc est primus casus Conclusionis; in quo perinde est sive habeat peccata reservata, sive non reservata. Ad quid ergo sit expressa mentio reservatorum?

Atque ut non possent reservata directè absolvi à quocumque Sacerdote in periculo mortis, non video majorem obligationem nunc confitendi reservata, quàm confitendi non reservata, quando est periculum oblivionis; quia confitendo peccata non reservata in articulo mortis, satisfiet præcepto Confessionis, & peccata reservata indirectè absolventur; sicuti satisfit præcepto Confessionis explicando peccata, quæ memoriæ occurrunt, & indirectè absolventur peccata oblita.

Si autem supponas, poenitentem nulla omnino habere peccata, præter reservata, qui est casus planè metaphysicus, & nunc adesse Sacerdotem, qui possit ea absolvere, postea numquam adfuturus; liquet sanè, præceptum divinum obligare ad Confessionem nunc faciendam; quia æquivalet talis casus articulo seu periculo mortis, in quo omni & solo, ut satis hæcenus explicavimus, obligat per se & immediatè præceptum divinum Confessionis. Sequitur agendum de obligatione per accidens. Pro qua instituitur

61. An teneatur quis nunc confiteri peccata reservata, si post non sit habiturus legitimam Confessionem. Lugo.

Negat Auz. et alii. Conc. Triad.

62. Obiectio solvitur.



## CONCLUSIO IV.

Præceptum Divinum obligat per accidens, quando fumenda est Eucharistia, vel est medium necessarium ad superandam gravem aliquam tentationem, v.g. ad evitandum peccatum fornicationis, aut simile: non tamen propterea tenentur communiter Christiani plus quam semel in anno confiteri.

63.  
Quid sit obligatio per accidens.

Voco obligationem per accidens & mediatam, quæ non oritur vi talis præcepti in propria natura, & virtute considerati, id est, secluso quocumque alio præcepto tam divino, quam humano. Hoc supposito, & remisso Lectore ad ea, quæ diximus de obligatione confitendi ante sumptionem Eucharistiæ disp. 4. sect. 10. concl. 3.

Probatur 2.  
pars Concl.

Probo secundam partem Conclusionis; quia qui præcipit finem, etiam præcipit media necessaria ad finem; ergo qui præcipit superationem tentationis v.g. carnis, præcipit orationem, jejunium, & alia pia opera, quæ hic & nunc sunt necessaria ad illam superandam; ergo etiam Confessionem, si hic & nunc sit necessaria.

Neque de hac obligatione, quam clarè constat esse per accidens, nemo dubitat, sed cardo difficultatis est; an ergo teneantur Christiani plus quam semel in anno confiteri, quandoquidem experientia doceat, frequentiore Confessionem esse medium moraliter necessarium ad superandas graves tentationes, & nova peccata mortalia evitanda.

64.  
Ultima pars Concl. probatur 1.  
Lugo.

Nihilominus Conclusionem nostram esse communem Theologorum, affirmat Lugo disp. 15. nu. 46. Probatur I. quia hucusque nullus est, qui pœnitentibus scrupulum iniecerit de huiusmodi obligatione, vel qui in publicis concionibus populo tale præceptum proposuerit, licet sæpius soleant Concionatores hortari populum ad frequentationem huius Sacramenti; non est autem credibile, per tot sæcula fuisse ignoratam, aut certè neglectam à tot sanctis & doctis viris ejusmodi obligationem.

Probatur 2.

Probatur II. ex præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis, per quod, quantumvis explicitè non tollatur præceptum divinum aut naturale, si quod intra annum occurrat, ut supra notavi, valdè tamen insinuat, nullam esse talem obligationem, saltem communiter; si enim homines communiter tenerentur ad

frequentiore Confessionem, frustra præciperetur annua; immo scandalosè, cum dicitur occasio fidelibus cogitandi, non esse obligationem communiter sæpius confitendi. Veluti si Episcopus præciperet, ut quisque saltem semel singulis hebdomadibus Quadragesimæ jejunaret, hæc lex non solum esset inutilis, sed etiam scandalosa; quia subditi crederent, se satisfacere præcepto Ecclesiæ, per illud unicum jejunium.

Confirmatur I. quia Ecclesia scit multos semel dumtaxat in anno confiteri, & tamen nunquam reprehendit hunc abulum.

Confirmatur II. quia Confessio annua solum præcipitur illis, qui mortaliter peccaverunt: ergo Ecclesia supponit eos, qui mortaliter peccant non habere præceptum frequentius confitendi. Quid quod Ecclesia approbet morem confitendi in Quadragesima in universa Ecclesia, inquit Trident. sess. 14. cap. 5. in fine, cum ingenti animarum fidem fructu, observatur nos ille salutari confitendi, pro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tanquam pium, & maxime reinendum. Et quamvis hic non excludat frequentiore Confessionem; equidem cum probè resciat, plurimos solum illo tempore confiteri, saltem admonuit suæ obligationis frequentius confitendi.

Probatur III. quia non constat, frequentiore Confessionem esse medium communiter necessarium ad evitanda peccata mortalia; nam Confessio frequens ideo potissimum utilis est, & conducit ad impedienda peccata; quia qui confitetur, dolet efficaciter de peccato peccato, & proponit seridè & firmiter de cetero non peccare; quod autem paulò ante displicuit, & quod firmiter proposuimus amplius non amplecti, non tam facile amplectimur; ergo in externa Confessio non est medium necessarium, sed sufficit interna Pœnitentia.

Alioquin quid facerent homines, si Christus non instituisset Sacramentum Pœnitentiæ? Et quid fecerunt homines in veteri Lege, & in Lege Naturæ, quando nondum erat institutum Sacramentum Pœnitentiæ? Nonne ipsis deerat medium communiter necessarium ad evitanda peccata mortalia? Aut continuè erant expositi periculo proximo peccandi mortaliter? Quis audeat affirmare?

Atqui per institutionem Sacramenti non est abbreviata manus Domini, sed magis extensa; non est ablatum medium necessarium ad evitanda peccata mortalia, quod erat ante institutionem Sacramenti; sed novum potius medium superadditum; ergo licet Confessio frequens sit medium indubiè maxime utile, & ideo consulendum; immo aliquando imponendum pœnitentibus in cautelam futurorum peccatorum; equidem esse omnino necessarium.



necessarium, idque communiter, nihil est, quod cogit asserere.

Quin experientia docet, teste Lugone supra n. 53. quam plures homines religiosos & pios, qui per annum integrum, immo per multos annos apud infideles versantur, evangelizantes & predicantes, transigere totum illud tempus absque lapsu gravi sine Confessione, quia nimirum frequenter renovant propositum firmum non peccandi; sicut è contra videmus alios, qui frequenter confitentur, & passim relabuntur in peccata mortalia. Quod quidem plerumque oritur ex infirmitate, & fortasse ex defectu veri propositi non peccandi; quæ (nifallor) est potissima ratio, cur qui semel in anno tantum confitentur, frequenter cadant in peccata gravia; quia scilicet, ne tunc quidem, quando in fine anni confitentur habent verum dolorem & propositum firmum, sed velleitatem quamdam & propositum infirmum: si enim tunc firmiter proponerent, non ita facile, & tam citò relaberentur. Hæc ille.

Ex quibus patet solutio ad argumentum contrarie sententiae, id est, ad contrariam experientiam; quod enim qui semel tantum in anno confitentur, sæpius peccent mortaliter, non oritur præcisè ex defectu Confessionis, sed plerumque, quia rarè vel nunquam per totum annum verè & efficaciter interius dolent de peccatis commissis, & proponunt de cætero non peccare; sed lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis; donec coacti metu excommunicationis, aut aliarum pœnarum, in fine anni confiteantur, an cum vero dolore, & proposito, Deus novit, qui scrutatur renes & corda.

Quicumque ergo talis est, qui fingit nimum laborem in Confessione, & ideo quantum potest illam differt; consulo ipsi, ut saltem sæpius in corde verè pœniteat de peccatis commissis, & proponat feriam emendationem; ut orat Deum pro gratia, jejundet, aliaque opera veræ pietatis exerceat; & communiter non erit ipsi dilatio Confessionis in ruinam.

Sin autem experientiâ cognoscat, nisi sæpius confiteatur, seu peccata venialia, seu mortalia, certò moraliter se peccatum mortaliter, sive determinatè peccato fornicationis, sive indeterminatè peccato fornicationis, adultærii, pollutionis &c. haud dubium quin sub novo peccato mortali teneatur sæpius confiteri, cum non confitendo exponat se periculo proximo peccandi mortaliter, nisi fortè extulset grave damnum corporale, vel spirituale, alioquin incurrendum, de quo egimus sect. præc. concl. 10.

Dixi; seu peccata venialia, seu mortalia; quia

licet confessio venialium jure divino per se non sit præcepta, juxta illud Trid. sess. 14. c. 5. Venialia ... quamquam rectè & utiliter... in Confessione dicantur... taceri tamen circa culpam... possunt; si tamen hic & nunc esset alicui medium planè necessarium ad evitanda peccata mortalia, procul dubio obligaret, non ex vi præcepti Confessionis, sed illius virtutis, v. g. castitatis, cui opponitur peccatum, alàs moraliter certò committendum, v. g. fornicatio. Porro Confessionem venialium non esse communiter medium necessarium, ex hoc mihi firmiter persuadeo, quòd aliàs Deus non reliquisset illam liberam.

Et reverà si consuetudo peccandi venialiter, vel multiplicatio peccatorum venialium, non est communiter occasio proxima peccandi mortaliter, quo fundamento dicemus, omissionem vel dilationem Confessionis peccatorum venialium esse communiter occasionem proximam peccandi mortaliter? Disponit quidem veniale ad mortale, secundum illud Ecclesiastici cap. 19. Qui spernit modica; paulatim decideret: haud equidem esse occasionem proximam colligo ex ly Paulatim; nam occasio proxima est, ex qua moraliter certò sequitur peccatum mortale, sive hoc proveniat ex natura ipsius occasionis, sive ex fragilitate ipsius peccantis: quamlibet autem negligentiam circa peccata venialia esse talem occasionem, est contra sensum omnium fidelium; & contra experientiam, cum plurimi sint negligentes in evitandis, aut confitendis peccatis venialibus, qui tamen nunquam, aut rarissimè peccant mortaliter.

Cæterum ut probabilis esset communis obligatio sæpius confitendi singulis annis, ad evitandum periculum peccati mortalis, nulla est necessitas illam obligationem proponendi peccatis; cum enim repugnet communi sensui fidelium; & contraria sententia sit probabilissima, rarissimi erunt; qui propterea sæpius confitebuntur; ac proinde illa admonitio, seu propositio magis cederet in destructionem & scandalum, quam in edificationem. Nihilominus semper oportet consulere frequentem Confessionem propter magnam ejus utilitatem, & sicut antè dixi, posset aliquando injungi ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum.

Hucusque de præcepto divino Confessionis. Qualis autem debeat esse Confessio jam dicerem, nisi opportunum magis videretur, prius declarare præceptum Ecclesiasticum, cujus nunc sæpius meminimus, & quod nihil est aliud, quam determinatio præcepti divini. Erit igitur